

Oceani tractus unde omnes, & sola terræ
 Cuncta oculorum uno dispicit intuitu.
 Regnaque, regnorumque vices, & inania lætus.
 Stultorum ridet votaque, spesque hominum,
 Et studia, & miserum vitæ mortalis amorem,
 Et quos carorum in funere tot gemitus
 Funditis, abreptis ima ab tellure Deorum
 Ad sedes ceu si triste quid acciderit.
 Hæc tu igitur mea dicta memor sub pectore conde,
 Vatibus atque aliis omnia dic, fatuo
 Ne gemitu, & vanis singultibus indulgentes
 Nequidquam sacros sollicitent cineres;
 Neve fleant Divum nihilo sapientius, ac si,
 Quem gravis unda mali verberat Oceani,
 Et Caurusque, Notusque, & navifragi Aquilones
 Deprensum in coecos abripiunt scopulos,
 Ventorumque, marisque oblitus defleat illum,
 Quem procul in tuto littoris hospitio
 Functum dura videt pelagi, ac promissa parantem
 Neptuno, & flavis munera Nereis.
 Hæc ait, eque oculis dilapsa evanuit; at mihi
 Nescio quæ tacitæ gaudia lætitiae,
 Intima mulcentis blando præcordia sensu,
 Nubem animi, ac tristes dispulerunt tenebras.

